



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De interfectoꝝ suarum coniuiugum. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

*De interfecto ribus suarum coniugum.*

23. q. 2. Inter  
fectores.  
se. 2. 3.

His adiiciendum est de occisoribus suarum coniugum : de quibus Nicolaus Papa scribit Radulpho Bituricensi archiepiscopo : Interfectores suarum coniugum sine iudicio, (cum non addis adulterarum, vel aliquid huiusmodi) quid aliud habent sunt, quam homicidæ? ac per hoc ad poenitentiam redigendi: quibus penitus denegatur coniugium. Hic videtur Nicolaus permittere maritis, pro adulterio aut alio huiusmodi vxores suas interficere: sed ecclesiastica disciplina spiritali gladio, non materiali crimosos ferire iubet. Vnde idem Nicolaus, Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cuius vxor adulterium perpetrauerit, vtrum marito eius secundum mundanam legem interficere liceat.

23. q. 2. cap.  
Quicumque  
propriam.

Sed sancta Dei Ecclesia nunquam mundanis constringitur legibus: gladium non habet nisi spirituale. Item Pius papa: Quicumque propriam vxorem absque lege & sine causa interfecerit, aliamque duxerit, armis depositis publicam agat poenitentiam: & si contumax extiterit, anathematizetur usquequo consentiat.

#### DE VOTO.

#### DISTINCT. XXXVIII.

**N**unc de voto inspiciamus. Votum est testificatio quædam promissionis spontanea: quæ Deo & de his quæ Dei sunt, proprie fieri debet: Sunt tamen & vota stultorum, quæ frangenda sunt.

*De votorum differentis.*

Sciendum vero quod votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, cum spondent renuntiare diabolo, & pompis eius: singulare ut cum aliquis sponte promittit seruare virginitatem, vel continentiam, vel aliquid huiusmodi. Item singulare votum, aliud est priuatum, aliud solenne. Priuatum